KSIĄŻNICA CIESZYŃSKA

Zdigitalizowano w ramach projektu „OCHRONA I KONSERWACJA CIESZYŃSKIEGO DZIEDZICTWA PIŚMIENNICZEGO”

Ochrona i Konserwacja Cieszyńskiego Dziedzictwa Piśmienniczego

2007-2010

Wsparcie udzielone przez Islandię, Liechtenstein oraz Norwegię poprzez dofinansowanie ze środków Mechanizmu Finansowego Europejskiego Obszaru Gospodarczego

eea grants
iceland liechtenstein norway

Zrealizowano ze środków Ministra Kultury i Dziedzictwa Narodowego

Jds. DD. IX 17. 14.

Praefatio ante classium praelectionem 1806

Si teste Seneca, quod fuit durum pati, meminisse dulce est, non video Auditores! qua ratione mul-tarum rerum iucundissimarum, quam anno hoc scholastico, improbo licet labore hausimus, cognitionem fastidire deberet animus: cum pateat omnibus, lateat omnino neminem, iis rebus nedum aetatem primam, sed etiam jam coroboratam capi ac firmari plurimum.-

Nam dum singulorum, quot quot praesentes intuemini, mentem exposco, ac sententiam, quoniam libere loqui non licet, tacite illud Ovidii: non sentitur sedulitate labor, identidem vociferare comperio.- Et merito: ut namque rosa, flos omnium longe gratissimus, et spinis nascitur; ita plane e tristibus e asperis laboribus nunquam non fructus capitur iucundissimus.- Sed quoniam in ipsis laboribus deligendis eam non raro comperimus latere difficultatem, ut- etsi quos fortuna extulit, aut proprius illustrarit labor et industria, numeremus plurimos-

nunquam tamen desint, quibus labor non tantum inutilis, sed etiam perniciosus fuit, idcirco laboris delectus habendus est, ut nec, qui prosit, usquequaque respuatur, nec unde detrimenti aliquid capi possit, temere assumatur.

Quis quaeso stultos veteres non asserat Aegyptios, qui, quo existimationis aliquid haberent, apud posteros, operam populi ac pecuniam in substruendis non honoris, sed jactantiae, non gloriae sed ostentationis, non denique virtutis, sed vanitatis consumsere monumentis?

Quis ne quidquam in plurimis usque hodie desudare eos intelligat, qui nulla procurandae utilitatis habita ratione in difficillimis, caeterum infrugiferis elaborant assidue? Si profecto speciem cujusdam commodi ac utilitatis, non ipsam reportant utilitatem.

Sed ut ad rem nostram propius accedamus, Vos qui fructum laboris impensi protinus reportaturi adestis adolescentes optimi! Vos inquam ipsi edicite: quidest, quod vos mensibus abhinc decem et amplius relictis F sedibus in hac urbe, in hoc Gymnasio una coegit die? Quid est, quod, quorum cura educati estis, charissimos parentes vestros ad tantos, tamque profusos vestri gratia faciendos sumtus induxit? An, ut ad ludum aetatis animi requiem? ad inanes denique adolescentiae oblectationes temporis plurimum tribuendum judicaretis?

F haud parum fortasse dissitis nationis

Ego, nisi omnia me fallant, idcirco factum fuisse arbitror, ut cum nullum gloriae, nullum honoris premium sit, quod non litteris merito tribui possit, in studio humanitatis, in has politiores artes toto pectore, summa incumberetis animi contentione. Haec erant parentum vota, haec patriae expectatio, haec summi Imperantis voluntas.
Huisdam quantum quisque ~~vestrorum~~ civilitones optimi! respon-
derit, nunc ~~jam~~ palam fiet.
Adeste itaque vos rudiarii et pugiles nobilissimi! adeste adolescentes ingenui, qui eximia industriae, morumque specimina ante alios exhibuistis!
Audite vocem preconis honoratissimi et quae in hoc anno ~~sed~~ curriculo labore parastis, certaminis vestri premia, favente hac nobilissima concione, laeti capiatis

ksiazznica@kc-cieszyn.pl